



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De extensione privilegiorum.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cui privilegium tale subservit) quæ non minus in hac privilegiatorum explicatione, quam in interpretatione legum observari debet, nisi grave tertii præjudicium aliter explicari jubeat, aut ex aliis circumstantiis de alia mente concedentis colligi aliquid possit, aut si juxta proprietatem suam verba sumerentur, privilegium redderetur inutile, quod fieri non debet. Vide plura in *Lib. I. Decret. De legum interpret.*

§. IV.

De extensione privilegiatorum.

Etiam hæc materia ex dictis de extensione legum colligi potest, cum utrobique eadem ratio, & auctoritas pugnet. Et primò quidem extensio non est faciendâ ab una persona, cui concessum est privilegium, ad aliam personam non expressam *cap. Sanè 9. h. t.* (neque enim in exemplum pro omnibus trahi debet, quod uni v. g. ex speciali ratione, aut favore concessam est) & hæc nomine filiorum in privilegiis personalibus non intelliguntur nepotes, & quod concessum filio, non debet extendi ad filiam, nisi aliter de mente concedentis constiterit. Neque secundò extendendum est privilegium propter paritatem rationis ad non expressam, quia ratio privilegij non tam in ratione, quam in mente concedentis radicatur, v. si non tam extenderetur privilegium, quam explicaretur, hoc contineri in illo, velut accessorium in principali.



S E C T I O II.

De privilegiis in specie, & imprimis de privilegiis exemptionis à jurisdictione ordinarii.

§. I.

An ex solutione annui census Papæ facta privilegium exemptionis ab ordinario probetur, & quibus modis, vel verbis?

Respondetur, ex solutione tali non probari exemptionem à jurisdictione ordinarii, nisi appareat, quòd in signum immediatè subjectionis, ac perceptæ libertatis, non autem in signum tantùm perceptæ protectionis census talis solvatur, prout sumitur ex *cap. Recipimus 2. h. t. & ex cap. Ex parte 18. eadem.* sicuti enim census solutio plura significare potest, (subjectiorem scilicet, vel exemptionem, vel protectionem) quæ etiam sine exemptione ab ordinarii potestate haberi potest, cum nullam dicat ex se superioritatem) ita quid significet, aliunde probari debet. Quibus autem modis, formis, clausulis, vel verbis privilegium exemptionis, à jurisdictione ordinarii probetur, declaratur in *cap. Si Papa 10. h. t. in 6.* quod videri potest. Neque tamen per formulas tantùm in hoc cap. altatas exemptio probatur, sed etiam per alias non expressas probari ea potest, modò constet de mente Papæ: Sitamen Ecclesiæ aliqua in Diocesi existens suo

Kkk kk 2

ord.